


05

A

733











*Quæstiones sex,*  
DE TITULO ECCLESIAE,  
**CATHO-**  
**LICA,**

*Quas*  
Annuate Altissimo,  
*Ad publicam disputationem,*  
*d. 15. Julii habendam,*  
proponit,

BALTHASAR MEISNERUS  
SS. Theol. D. & Prof. publ.

*Respondente*  
ERTWINO Zur Wohnung Osna-  
brügâ-Westphalo.

WITTEBERGÆ,  
*Typis CHRISTIANI THAM,*  
*Acad. Typogr. 1625.*





05 A 733







# QUÆSTIONES DE TITULO ECCLE- SIÆ, CATHOLICA.

## Quæstio I.

*Quid notet vox, Catholicum, & quando Ecclesia  
ceperit dici Catholica?*

### THESIS I.



**V**ox *Catholica*, quoad originem suam Græca est, & derivatur ἀπὸ τῆς ὀλῆ, à toto, unde fit καθ' ὀλῆ, & si convertas in unam dictionem, καθόλῃ, h. e. juxta totum, vel in universum. Hinc καθολικόν universale. Notavit hoc etiam *Isidorus*, l. 7. c. ult. p. 1007. *Catholicus universalis sive generalis interpretatur*, (passivè hoc verbo utitur *Isidorus*, secus, quàm leges Grammaticæ videntur permittere) Nam Græci universale καθολικόν vocant. Sic *Plato*, καθόλῃ μὲν ἐν εἰπεῖν, Ut igitur in summa dicam. *Budæus* pag. 989. καθόλῃ εἰπεῖν & σῶελόν τι φερεῖται, habet pro Synonymis; utrumque notat, uno verbo dicere. Et quum omne universale simul sit perpetuum, sibiq; semper constans, hinc καθολικόν nonnunquam sumitur pro perpetuo; Unde apud *Hermogenem* leguntur οἱ κοινοὶ καὶ καθολικοὶ λόγοι communia & perpetua præcepta. Sic *Quintilianus*, l. 2. c. 13. Propter quæ nisi semper moris fuit, quàm minimum alligare me ad præcepta, quæ καθολικὰ vocant, id est, (ut dicamus, quomodo possumus) universalialia vel perpetuallia. Rarò enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua, & subrui possit. Apud *Aristotelem* frequens est appellatio τῆς καθόλῃ, quæ opponitur τοῖς καθ' ἕκαστα, vel singularibus, l. de Interp.

*Circa no-  
men Ca-  
tholici,  
exponitur  
derivatio,*

*Significa-  
tio,*





6.7. Universale verò sic definit ille, ὁ πᾶσι τῶν ἀρχῶν ἐστὶν ἐϋκτατόν, quod aptum est, ut pluribus insit, l.2. post. anal. c.13 §.2. l.1. de part. anim. c.4. l.7. Met. c.13. vel ὁ ὅτι πᾶσι τῶν ἀρχῶν ἐστὶν ἐϋκτατόν, quod suapte naturam multis tribuitur, l. de Interp. c.7 §.1. Illa descriptio desumpta est à priori; hæc à posteriori. Nam universale, quia inest multis, hinc aptum est prædicari de pluribus. Dicit enim vel prædicari requirit inesse.

## II.

*Unà cum  
affectio-  
nis univer-  
salis.*

Omne igitur universale (1.) plura sub se comprehendit. (2.) Et hinc de pluribus prædicari potest. (3.) In se tamen unum est, unitate communi, non individuali, siquidem ratione sui esse nihil aliud est, quàm unum in multis, unde *Hispanus*, Tract. 2. Log. Universale dictum putat, *quasi unum, versum in multis*. (4.) In sensu per se, in quantum universale, non incurrit. (5.) In singularibus tamen videtur. (6.) Ex singularium collectione oritur atq; cognoscitur. (7.) Solum cadit sub scientiam. Ad singularia enim quum perventum, Plato jubet quiescere, ut refert *Porphyrus*, c.2. Isagog. (8.) ἀπλῶς ἢ ἐξ ἑσῶν καὶ τιμιώτερον simplicius vel magis honorabile est, quàm singulare. (9.) Et tandem αἰεὶ καὶ πανταχῶς, *semper & ubiq;* est, ut loquitur *Philosophus* 1. post. 28. in suis nimirum singularibus, quò pertinet illud Ἐξ ἑσῶν Philosophicum: *Universalia sunt unum & multa, in multis, & extra multa, ubiq; & nusquam, semper & nunquam.*

## III.

*Idem verò  
titulus tri-  
butus est  
Ecclesie,*

*Non tam  
ab Apo-  
stolis,*

Idem verò titulus, licet in Scriptura non extet, in Symbolo tamen Apostolico & Niceno, ut etiam à plerisq; Patribus, tribuitur Ecclesie Christi. Quo autem tempore, & quibus authoribus illa vocari cæpta sit Catholica, non satis cognitum & exploratum habemus. A Papistis communiter Apostolis tribuitur hujus nominis inventio & impositio, quandoquidem in eorum Symbolo legatur: Sed quia incertum est, an istud symbolum, quod sub Apostolorum nomine recitatur, sit ipsorum Apostolorum, (quum in Actis nulla ejus fiat mentio, quum corpori Biblico non sit insertum, ut reliqua scripta Apostolica; quum primi Patres, *Ignatius*, *Justinus*, *Irenæus*, de isto nihil memorent; quum quarto de-  
mum



mum seculo pro Apostolico haberi cæperit, & rationes apo-  
stolicæ pro ista thesi proferri nequeant) sequitur omninò, incertum  
etiam esse, an titulus Catholicæ Ecclesiæ ab ipsis promanarit A-  
postolis. Refert quidem *Ruffinus*, in expos. Symboli, ex traditione  
haberi, Apostolos, priusquam in terrarum orbem dispergerentur,  
articulos illos duodecim unanimi consilio complexos esse, & inde  
dictos *Symbolum*, quia quilibet suum Symbolum, suam quotam &  
portionem contulerit. Sed mirum, cur hoc antiquissimi Patres  
primis tribus seculis viventes, tacuerint, & unde quarto demum  
seculo innotuerit? Deinde, quomodo Ecclesia ante dispersio-  
nem Apostolorum, ubi nondum erat illa inter nationes gentium  
plantata, nominari potuit Catholica, vel in toto orbe diffusa?  
Aut igitur Symbolum illud non est confectum ante dispersionem  
Apostolorum; aut si hoc, Ecclesia tum nondum potuit dici Ca-  
tholica. Hinc sunt, qui putant, sub Apostolis neminem voca-  
tum fuisse Catholicum, & hoc ex *Paciani* epistola ad Sempronianum,  
colligi autumant, citante locum hunc *Whitaker*, *controv. 2.*  
*qu. 5. p. 297.* & *Heilbrunnero* in *Papatu A catholic*, p. 485.

IV.

Quomodocunq; autem res sese habeat, extra dubium poni-  
mus, nomen istud non prius Ecclesiæ assignatum esse, quàm Evan-  
gelium inter gentes prædicatum, adeoq; Christiani in variis natio-  
nibus reperti fuerint, quia τὸ καθολικὸν diffusionem & dispersio-  
nem fidelium apertè subinnuit. Et videtur ex historia Ecclesiæ  
colligi posse, quòd tempore certaminis Ariani nomen illud potif-  
simum frequentari cæptum sit, ubi Orthodoxi vocabantur Catho-  
lici, propter fidei Catholicæ vel universalis de Christi Deitate pro-  
fessionem. Ab illa verò universali fide deficientes, & peculiarem  
introducunt, dicti sunt hæretici. Hinc lege Cunctos, Tit. de Summa  
Trinit. illi dicuntur Catholici, qui tres in una Deitatis essentia per-  
sonas credunt, reliqui omnes haberi debent pro hæreticis. *Tanne-  
rus* quidem scribit, *par. 1. Anatom. demon. 3. p. 67. & par. 2. demon. 1.*  
*§ 1. num. 9. p. 5.* vocem illam Ecclesiæ veræ tributam esse etiam à  
*Tertulliano*, in præscript. cap. 26 sed splendide mentitur. Ibi enim  
non Ecclesia vocatur Catholica, sed dicitur, Apostolos catholicè

Quam post  
Apostolo-  
rum tem-  
pora.

A 3

vel





Allegat etiam ex l. 7. contra Marcionem c. 17. quum tamen quinque duntaxat libros contra Marcionem scripserit Tertullianus. Esse autem debet liber 2. Ita enim citatur par. 1. pag. 67. Allegat insuper ex Cypriano epist. 41. 42. 43. 44. 45. in quo nomen Ecclesie Catholice reperiri non negamus, floruit autem ille tertio post Christum natum seculo.

## Quæstio II.

*Quibus de causis Papistæ putent, Ecclesiam nominari Catholicam?*

V.

*Causas hujus tituli exponunt Costerus, Bellarminus,*

**C**ostero in Enchiridio, cap. 2. p. 87. Catholica Ecclesia idem est, quod ubiq; diffusa.

Bellarminus l. 3. de Ecclesia, cap. 6. col. 218. D. hanc affert rationem, quia semper illa fuerit, & semper futura sit. cap. 7. col. 221. C. addit amplitudinem & varietatem credentium. Ita enim scribit: Ecclesia verè Catholica non solum debet complecti omnia tempora; sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera; quoniam Vincentius Lyriensis in suo commonitorio docet, illos proprie Catholicos esse, qui teneant id, quod semper, quod ubiq;, quod ab omnibus creditum est. Subnectit verò quatuor notabilia pro explicatione hujus nominis. Ut enim Ecclesia sit Catholica, requiri ait: (1.) Ut non excludat ulla tempora, loca, vel hominum genera, in quo distinguatur à Synagoga, quæ non Catholica, sed uni tempori, loco & familie alligata fuerit. (2.) Ut innotescat omnibus provinciis, & aliqui in eis sint de Ecclesia, licet non omnes; (3.) Non tamen requiri, ut uno tempore in omnibus provinciis sint aliqui fideles, sed satis esse, si id fiat successive. (4.) Requiri tamen hoc tempore, ut Ecclesia, quum sit in senio constituta, necessario sit vel fuerit in majori parte orbis terre. Si enim in juventute non crevisset, quomodo nunc in senectute cresceret? Atq; hinc infert, col. 122. lit. C. Oportet igitur, ut jam creverit atq; occupaverit, si non totum orbem terrarum, at certè magnam partem.

*Tannerus,*

Tannerus par. 2. Anat. A. C. demon. l. 1. §. 1. p. 6. rationem appellationis similiter petit ab universitate locorum & temporum. Signifi-



gnificat, inquit, nomen Catholica, certam quandam conditionem & proprietatem Ecclesie Christianae, nempe Universalitatem locorum & temporum, &c.

Stapletonus eadem profert, in Relect. contr. I. q. 3. art. 3. p. 47. Stapletonus.  
Vera Christi Ecclesia universalis est quoad loca, & quoad tempora, quia per omnes gentes toto orbe diffunditur, & omnia tempora complectitur. Et ex hac duplici universalitate vocatur Catholica. Subjungit autem pag. 49. & 50. quinq; notabilia, quibus istud attributum explicari contendit, nimirum, Ecclesiam dici universalem (1.) quia successive, licet non simul, per gentes diffusa sit. (2.) Quia semper numerosior sit quavis haeresi, licet non respectu unius regionis, tamen respectu totius orbis. (3.) Quia per omnia loca, ubi Christi nomen predicetur, Ecclesia colligatur, quod de nulla haeresi possit affirmari. Verum hoc tertium notabile coincidit cum secundo, ideòq; malè illi contradistinctum est à Stapletono. (4.) Quia respectu Judaeorum, quorum Synagoga in una erat Palaestina, Ecclesia sit amplissima, & per omnes nationes diffusa. (5.) Quia sit universaliter, & omnibus gentibus nota, vel per omnes gentes diffamata, quò aditus ad fidem semper pateat, ut ipse loquitur, pag. 51. Ecclesia igitur juxta Stapletonum dicitur Catholica 1. propter notitiam ejus universalem, vel omnibus gentibus commuam. 2. Propter amplitudinem & diffusionem per omnes gentes, tum successivam, tum permanentem, quæ tamen ipsi non est absoluta, sed respectiva, nempe respectu hæreticorum & Judæorum.

Huntleus Tomo I. contr. 2. cap. 19. p. 252. scribit: Ecclesia duobus Huntleus.  
modis est Catholica: Primò, quia durat omni tempore; Secundò, quòd ad omnia loca & nationes dilatata sit post Christi adventum.

Reihingus in manuali Catholico, art. 2. §. 6. p. 179. Die Kir- Reihingus.  
che wird darumb Catholisch genennet / weil sie nach laut der Schrift allgemein / das ist / von Christo vnd den Aposteln an / zu allen Zeiten / allenthalben / bey allen Völkern durchgehend in der ganzen Welt sein vnd bleiben muß. Dann das wörtlein Catholisch hat seinen Ursprung von dem Griechischen καθ' ὅλας oder καθ' ὅλην, welches auff lateinisch so viel als secundum totum, oder Universale, auff deutsch aber Allgemein heißet.

Beccanus



**Becanus.**

**Becanus** Tom. 5. tr. de Eccl. q. 1. concl. 2. p. 591. *Ecclesia dicitur Catholica, seu universalis, tribus de causis, (1.) Ratione loci, quia per universum orbem diffusa est, Marc. 16. v. 15. (2.) Ratione temporis, quia semper durabit, Dan. 2. v. 44. (3.) Ratione hominum salvandorum, quia quotquot salvantur, in visibili Ecclesia salvantur. Hinc deducit discrimen inter Ecclesiam Christi, & Synagogam Judæorum, quòd hæc nullo modorum istorum fuerit Catholica, quia non diffusa per totum Orbem, sed per solam Palæstinam; quia durârit certo tantum tempore, usq; ad mortem Christi; quia potuerint salvari homines extra Synagogam, ut Ninivite, & alii.*

**Gregorius de Valentia.**

**Gregorius de Valentia**, l. 6. Anal. cap. 4. pag. 37. Ecclesiam scribit nominari Catholicam (1) ab universitate ejus doctrine, quam proficitur. Continet enim materiam uberrimam (vel diffusissimam) de Deo & Creaturis. Atque in margine adscripta sunt hæc verba: *Causa præcipua, cur Ecclesia Christi dicatur Catholica. (2.) Ab universitate loci, quia per universum est orbem diffusa. (3.) A temporis universitate; Nam ad finem usq; mundi perseverabit. (4.) Ab hominum universitate, quoniam ad eam homines universi, cujuscunque sint sexus aut ætatis, aut conditionis, convocantur.*

**Fornerus.**

**Fornerus** im *Goliathschwerdt* / art. 2. c. 4. similiter affirmat, Ecclesiam esse & dici Catholicam propter universitatem temporis, locorum & nationum. Ita enim loquitur pag. 107. *Wilt du wissen / D. Hoe / warumb die Kirche Catholisch oder allgemein genennet werde? Nicht allein wegen der Lehr; Sondern auch wegen der Zeit / von wegen der Dertter vnd Böseher.*

**Mosconius.**

**Mosconius** l. de majest. milit. Eccl. in prælud. p. 8 ex *Isid. l. i. de Officiis*, præter universitatem locorum & personarum, addit etiam universitatem tum doctrine, quia Ecclesia generalem profiteatur doctrinam de visibilibus & invisibilibus; tum spiritualis cura, quia generaliter curet omnia peccata, quæ per corpus & animam perpetrentur.

## VI.

Ex hisce testimoniis omnibus apparet, quòd septem cum primis causæ istius appellationis in Papicolarum scriptis. Nam Ecclesiam nuncupari autumant Catholicam ob Universitatem

tem



tem 1. Locorum. 2. Temperum. 3. Personarum: Quos tres respectus al-  
legant fermè univèrsi. 4. Notitiæ, juxta Stapletonum. 5. Doctrinæ,  
juxta Valentianum. 6. Generalis cura, juxta Isidorum & M. sconi-  
um; tandemq; 7. ob universitatem respectivam, nempe ratione Ju-  
dæorum & Hæreticorum consideratam, juxta Stapletonum.

### VII.

Placet nunc quasdam observationes, hanc Papistarum opi-  
nionem, & ejusdem explicationem concernentes, subjungere.

1. Omnes principium petunt in eo, quòd Apostolis primam  
hujus appellationis inventionem & impositionem tribuunt, id  
quod tamen certis, invictisq; rationibus probari nequit, sed po-  
tius in contrarium non leves dubitandi causæ occurrunt, ut supra  
vidimus.

Omnes au-  
tem petunt  
principium,  
quòd hujus  
appellatio-  
nis origi-  
nem refe-  
runt ad A-  
postolos.

### VIII.

2. Injuriam nos afficit *Fornerus* luculentà, si de nobis intelligit,  
ut intelligere videtur, quæ scribit pag. 108. Dergleichen Spruch ist  
die ganze heilige Schrift voll / welche alle die verleugnen / schân-  
den vnd lästern / so die Kirche nur an einen Ort oder Land / oder an  
wenig Personen / vnd imaginirten geringen Hauffen binden / auch  
mit der Jüden Synagog vergleichen / vnd das herrliche Siecht /  
das Wort Gottes vnter die Banc stecken vnd verbergen wollen.  
Nos autem minimè sumus illi, qui vel Ecclesiam uni loco alligent,  
vel cum Synagoga ratione istius alligationis comparent, aut Dei  
verbum occultent. Hujus ultimi criminis ipsi Jesuwitæ rei, &  
aliquoties convicti sunt; Cur igitur nobis illud objiciunt? Eccle-  
siam verò non excludere ullum locum aut populum, & in hoc à  
veteri Synagoga differre, lubenter concedimus, uti paulò post ex-  
plicabitur: Proinde crimen falsi committit *Fornerus*, si allegata  
verba nobis opposita voluit.

Deinde  
*Fornerus*  
nos afficit  
injuriâ.

### IX.

3. *Bellarminus* sibi ipsi turpiter contradicit. Nam l. 1. de Eccl. *Bellarmini-*  
cap. 7. col. 222. C. probare vult, quòd oporteat Ecclesiam hoc tem- *nis sibi con-*  
pore vel esse, vel olim fuisse dilatam per totum orbem; nunc *tradicit.*  
autem crescere illam amplius, & dilatari magis non posse, quum  
sit in senio. Sic enim loquitur: Ecclesia omnium consensu, etiam hæ-  
retico.

B

72110



veriorum, iam genuit. si ergo in sua adolescentia & juventute non crevis-  
set, quomodo nunc in senectute cresceret? Oportet igitur, ut iam creverit,  
atq; occupaverit, si non totum orbem terrarum; at certe magnam partem.  
Sensus est: Uti senes non crescunt, sed juvenes; Sic Ecclesiam in  
sua juventute, h. e. primis seculis fuisse maximè dilatatam;  
nunc autem in senectute, i. e. ultimo hoc seculo non posse  
crescere aut dilatari. Contrarium verò disertis verbis scripsit lib. 3.  
de R. P. cap. 4. Nam col. 862. negat Evangelium primis seculis, vel in  
juventute Ecclesie prædicatum fuisse per universum orbem, &  
col. 863. affirmat: Ante Antichristi adventum, in senectute Ecclesie, ad-  
huc prædicandum esse Evangelium in toto mundo, & in omni gente, non sy-  
nechdochicè, ut factum Apostolorum tempore, sed propriè per proprios præ-  
dicatores, & Ecclesiarum foundationem, vi vaticini Matth. 24. v. 14. ut  
hinc obtineat, Papam non esse Antichristum, quia isthæc univer-  
salis Evangelii prædicatio, & Ecclesie diffusio nondum sit peracta,  
quam tamen Antichristi adventum præcedere oportere asserit.  
Ibidem duo clarissima Scripturæ dicta, de universali prædicatio-  
ne, facta Apostolorum tempore, corrumpit fraudulentè, nempe  
dictum Rom. 10. v. 18. In omnem terram exivit sonus eorum; ubi ait:  
Paulum accepisse præteritum pro futuro, exivit pro exhibit, id quod est  
contra totum contextum: deinde dictum Col. 1. v. 6. Evangelium  
est in universo mundo, quod non de actu; sed de virtute intelligit,  
quia nimirum jactum fuerit per Apostolos semen verbi divini,  
quod paulatim fructificando & crescendo, totum mundum reple-  
turum erat, quum tamen contextus aliud innuat, & ipsi Pontificii  
pro actuali Ecclesie dilatatione ista dicta soleant allegare. Coste-  
rus sanè in loco de Ecclesia, notâ 2. citat illa duo dicta, Rom. 10. v. 18.  
Col. 1. pro actuali diffusione Evangelii, tempore Apostolorum.  
Cyrillus etiam scribit, l. 5. in Esa. c. 62. col. 615. t. 5. citante Zeamanno.  
T. 1. p. 232. Orbus totus sub cœli amplexu Evangelicâ prædicatione, tanquam  
reti captus est. Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. c. 8. Jam illo ipso tempore (Ve-  
spasiani) in omnem terram sonus Apostolorum, & verba eorum in fines  
terre exierant. Videtis igitur crassam contradictionem. Ecclesia  
primis seculis, vel in juventute fuit omnium amplissima, quod in-  
nuitur à Bellarmino lib. 4. de Eccl. cap. 7. & ; Ecclesia primis seculis  
non



non fuit omnium amplissima, vel per totum orbem dilatata, quod docetur *l. 3. de R. P. cap. 4. Rursus*: Ecclesia in senio non potest crescere, vel magis dilatari, atque factum in juventute; Et, Ecclesia in senio vel ultimo tempore, ante adventum Antichristi, erit omnium amplissima, per quod omnes gentes proprie diffusa; quæ duæ assertiones in æternum conciliari nequeunt.

X.

4. Modi vel respectus, ob quos Ecclesia nominetur Catholica, exponuntur ab ipsis *Inconstanter, Insufficienter, Inconvenienter.* *Et causas istius appellationis exponunt*

*Inconstanter*, quia duos tantum Stapletonus, Huntlaeus, Tannerus; tres Becanus; quatuor Valentianus, alii plures allegant, quod facere non debebant ii, qui nil nisi concordiam & unitatem perpetuò crepant.

*Insufficienter*, quia omnes omittunt universalitatem internam, quæ est professio universæ doctrinæ Prophetiæ & Apostolicæ, à qua tamen Ecclesia potissimum universalis appellatur. Licet enim Valentianus & Mosconius simul faciant mentionem universalis doctrinæ; non tamen intelligunt istum universalem consensum cum doctrina *ἐν ᾧ ὁ Θεός*, unde Catholica dicitur Ecclesia; sed tantum amplitudinem objecti, quod doctrina Ecclesiæ sit uberrima, quoniam Deum & creaturas comprehendat, adeoque intactum relinquit verum Catholicismum, in universæ doctrinæ Apostolicæ professione consistentem. Nisi enim hæc addatur causa, nihil tribuitur Ecclesiæ, quod non Judæis etiam hodiernis accommodari possit, præsertim quoad universalitatem loci & temporis, quæ duo nonnulli tantum urgent. Nam Judaismus etiam per omnes gentes diffunditur, & omni tempore à primordiis Novi Testamenti usque ad hoc seculum duravit. Num ergo Judæi etiam dici debent Catholici?

*Inconvenienter*, (1.) Quia universalitatem doctrinæ, vel copiam & amplitudinem ejus pro præcipua Catholicismi causa habet Valentianus, quum tamen ea omnibus cætibus & Ecclesiis sit communis, quia non datur congregatio Ecclesiastica, in qua non de Deo & creaturis doceatur. Imò ipsi etiam Philosophi suo modo





modo circa hoc catholicum vel universale objectum verlanitur.  
(2.) Quia Stapletonus universalem notitiam Ecclesie inter gentes, simul admiscet aliis Catholicismi causis, quum tamen ea non sit propria soli Ecclesie, sed competat etiam partim Synagoge, cujus fama olim in Veteri; tum etiamnum in Novo Testamento, ad omnes populos non minus pervenit, ac fama Ecclesie Christiane; partim Turcismo, vel Mahumetismo, & quibusdam quoque hæresibus, quarum notitia in universo etiam orbe increbuit. (3.) Quia Mosconius ideò quoq; Catholicam vocari putat Ecclesiam, quòd generaliter omnia curare vel sanare soleat peccata, quæ ratio similiter inconueniens est, partim quia Ecclesiam & Synagogam non discernit, quum hæc non minus olim fuerit, atque illa nunc sit occupata circa curam omnium peccatorum; partim quia non datur aliqua congregatio Christianorum, si maximè sit hæretica, quæ non generalem omnium peccatorum curam profiteatur & suscipiat. (4.) Quia Stapletonus asserit, Ecclesiam semper majorem esse cætu Judæorum & hæreticorum quorumvis, adeoque illam respectivè Catholicam nuncupari. In hoc ipso autem manifestè petitur principium, & ipsi experientie contradicitur. Primis certè annis post Christi ascensionem multò plures in orbe vivebant Judæi, quàm Christiani. Deinde Arianismi tempore, ubi totus orbis ingemuit, & se tam citò Arianum factum esse, miratus est, numerosior omninò fuit hæreticorum, quàm verorum fidelium cætus: Et quis exactè dicet, sub illa pressura non plures etiam per orbem universum Judæos extitisse, quàm orthodoxos? Est igitur ista Stapletoni ratio non tantùm inconueniens; sed etiam manifestè falsa, & experientie, omnium rerum magistræ, contraria.

### Quæstio III.

*Quanam sint rationes verae & precipua, ob  
quas Ecclesia Christiana nuncupetur  
Catholica?*

XI.

**U**T brevissimis omnia comprehendam, dico Ecclesiam appellari Catholicam vel universalem tribus potissimum de causis:  
I. Ratio-



1. Ratione *quidditatis & nature*, secundum quam plura comprehendit, nimirum omnes Ecclesias particulares. 2. Ratione *quantitatis*, quoniam omnia loca, tempora, & omnis generis personas complectitur. 3. Ratione *qualitatis*, quia universam doctrinam, scriptis Prophetis & Apostolicis contentam religiosè suscipit, & animosè proficitur. *Prima ratio* distinguit Ecclesiam universalem à particulari; *Secunda* distinguit eam à Synagoga Judæorum; *Tertia* distinguit eam à quibusvis hæreticorum cæteribus, quæ omnia paulò fufius & accuratius nunc explicare fert animus.

XII.

Primum igitur Ecclesia vocatur Catholica, ratione quidditatis suæ, ad differentiam Ecclesiarum particularium. Nam prout hic consideratur, non est singulare quid, sed κατὰ ὅλην, vel universale, collectum & aggregatum ex multis partibus, vel particularibus Ecclesiis. Ut enim aliàs partes omnes simul sumptæ constituunt unum totum: Ita omnes particulares Ecclesie simul sumptæ, constituunt unam totam vel universalem Ecclesiam. Dicitur ergo Catholica, ad innuendam ipsius naturam, ut hoc nomine admoneamur, esse illam non cætum quendam singularem; sed potius universalem, & ex multis singularibus collectum, sine conditionibus individuantibus, hoc, hic, nunc, ut loquuntur Philosophi, considerandum. Hinc Scriptura ipsa Ecclesiam distinguit κατὰ ὅλην τῆς οἰκουμένης, five ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, per universum orbem dispersam, Matth. 26. v. 14. Marc. 14. v. 9. Col. 1. v. 6. ab Ecclesiis κατὰ οἶκον, Rom. 16. v. 15. 1. Cor. 16. v. 19. Col. 4. v. 15. κατὰ πόλιν, Act. 11. v. 26. ἐκαστῆς πόλεως, 1. Cor. 16. v. 19. Eodem sensu epistolæ quædam Apostolorum dicuntur Catholica vel Universales, quia inscriptæ sunt non uni, aut pluribus tantùm Ecclesiis particularibus; sed toti Ecclesie Catholice, vel generatim omnibus credentibus, ubivis gentium degentibus. Sic etiam doctrina nominatur Catholica, quam non unus aut alter duntaxat cætus; sed tota Christianorum multitudo, omnes omninò fideles, ubicunque vivant, concorditer profitentur.

Ecclesia vocatur Catholica, 1. Ratione quidditatis suæ, Et ita distinguitur à particularibus Ecclesiis.



Potest autem Ecclesia sumi vel absolute universaliter, pro collectione omnium fidelium, ab initio usque ad finem mundi; vel limitate universaliter, pro cætu fidelium aut tantum triumphante, aut tantum militante, & vel in Veteri, vel in Novo Testamento. Nos hoc loco sumimus pro cætu fidelium in Novo Testamento, ab ejus initio usque ad nostra tempora collecto, & deinceps etiam usque ad mundi *παραλήθειαν* colligendo, breviter, pro multitudine Christianorum in his terris viventium, & puram Evangelii doctrinam religiose suscipientium.

Non autem  
à Synagoga  
Judæorum  
vel ab hæ-  
reticis.

Porro hæc prima ratio separatim & solitariè non distinguit Ecclesiam Christianorum, vel à Synagoga Judæorum, vel à quovis cætu hæreticorum. Nam etiam Synagoga quoad quidditatem suam fuit Catholica vel Universalis, notans comprehensionem omnium particularium Synagogarum, vel cætuum Judaicorum, quocunque tempore & loco, sive in Ægypto, sive in Judæa, sive in Babylone extiterint. Sic Ecclesiam falsam & hæreticam, *Exempli causâ*, Mahumetanam, Arianam, Calvinianam, similiter possum nuncupare *universalem*, quatenus in universali consideratur, & non pro aliquo particulari cætu, uno loco & tempore vivente; sed pro cunctis cætibus, eandem hæresin profitentibus, quocunq; vivant loco & tempore, sumitur. Universalitas ergo illa, divisim & solitariè sumpta, quatenus est universalitas mera, non est proprietas Ecclesiæ in quarto modo, ut loquuntur Logici; sed potius est modus quidam Entitativus, ad Ecclesiæ quidditatem pertinens, per quem à suis partibus & cunctis singularibus; non autem ab aliis cætibus falsis distinguitur. Nec enim realiter differt à subiecto suo, nimirum Ecclesia, ut aliæ affectiones; sed in ejus quidditate & definitione tanquam modus Entitativus involvitur, quia non possum Ecclesiam totam concipere vel describere, nisi sub conceptu isto universali, quatenus est multitudo fidelium, & aggregatio quarumvis particularium Ecclesiarum. Dum igitur Ecclesiam absolute nomino, sine certi loci additione; tum universalitas unà includitur, tanquam modus essendi & considerandi, adeoq;



adeoque non tam est affectio, quæ prædicetur de subjecto, quam  
modus quidam Entitativus, involutus in subjecto, illudque deter-  
minans & à partibus suis, vel particularibus cæteribus tantum di-  
stinguens. Proinde quando hoc sensu dicitur Ecclesia universalis,  
tum non combinatur subjectum & affectio; sed *subjectum & modus*  
*considerandi*, de qua universali, vel universim sumpta Ecclesia post-  
modum veræ proprieq; dictæ affectiones prædicantur. Nam ve-  
luti quando in Metaphysicis Ens dividitur in universale & singu-  
lare; universalitas non est affectio entis realiter distincta; sed dun-  
taxat modus Entis diversus à singularitate: Sic quando Ecclesia  
distinguitur in universalem & particularem vel singularem; uni-  
versalitas ista similiter non est proprietas Ecclesiæ realiter distin-  
cta; sed modus Entitativus, Ecclesiam duntaxat à suis partibus vel  
singularibus distinguens. Licet autem ista universalitas entitativa  
non sit affectio Ecclesiæ, realiter ab ipsa distincta; ejus tamen hinc  
mentio facta est non inconcinnè, quò vitetur ambiguitas, & ra-  
tiones omnes, ob quas Ecclesia dicitur universalis, in promptu ha-  
beantur. Breviter ergo dicendo, *Universalitas Ecclesiæ Catholice,*  
*vel est ipsi essentialis, vel accidentalis. Illa ad quidditatem & naturam*  
*ejus pertinet; hæc quidditatem ejus consequitur. Illa est modus*  
*entitativus; hæc est affectio realiter distincta. Illa exprimit mo-*  
*dum essendi & considerandi, in aggregatione omnium partium si-*  
*tum; hæc quædam accidentia, exira Ecclesiæ græciæ constituta de-*  
*notat. Per illam distinguitur Ecclesia Christiana à suis partibus;*  
*per hanc ab aliis Ecclesiis non Christianis, nec orthodoxis. De illa*  
*fatis multa diximus; de hæc porro dicendum superest.*

XV.

Secundò igitur nuncupatur Ecclesia Catholica ratione  
quantitatis suæ, ad differentiam Synagogæ cum pri-  
mis Judaicæ, & deinde cæterorum hæreticorum. Ubi sta-  
tim occurrunt tres universalitatis modi, si nempe externæ confi-  
derentur circumstantiæ, *Ubi, Quando, & Apud Quos* Ecclesia colli-  
gatur; quod ipsum quum fiat in toto mundo, omni tempore, apud  
personas omnis generis, hinc *triplex* emergit universalitas, à qua  
tum Ecclesia, tum fides Christiana dicitur universalis vel Catho-  
lica.

2. Ratione  
quantitatis.

XVI.



Et quidem  
partem loci,  
Ratione  
status pra-  
teriti,

Prima est Universalitas Locum, à qua Ecclesia dicitur Catholica,  
(1.) Ratione status praeteriti & primævi, quia per Apostolorum præ-  
dicationem καὶ ὅλων τῶν οὐρανῶν, in orbe universo, omnibus-  
que provinciis est plantata & dilatata: quod ipsum confirmari  
potest vaticiniis, Christi præceptu, & utrorumque complementis.

Vaticinia leguntur passim, quæ Augustinus etiam allegavit  
contra Donatistas, lib. de Unitate Ecclesiæ; ut Gen. 24. v. 18. Bene-  
dicentur in semine tuo omnes gentes terræ; id quod Gal. 3. v. 16. de Chri-  
sto, & benedictione spirituali per Evangelium facta exponitur.  
Idem promittitur & confirmatur Isaaco, Gen. 26. v. 5. & Jacobo,  
Gen. 28. v. 14. Sic in Psalnis leguntur hujusmodi vaticinia bene  
multa, ut Psal. 2. v. 8. Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem  
quam terminos terræ. Psal. 8. v. 2. Domine Dominus noster, quam admira-  
bile est nomen tuum in universa terræ. Psal. 19. v. 5. In omnem terram exi-  
vit sonus eorum, & in fines omnis terræ verba eorum. Psal. 22. v. 28. 29. Re-  
miniscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adora-  
bunt in conspectu ejus universæ familia gentium. Psal. 50. v. 1. Deus Deo-  
rum locutus est, & vocavit terram. Psal. 72. v. 8. Dominabitur à mari usque  
ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. v. 9. Coram illo in-  
curvabuntur habitatores deserti. v. 10. Reges maris & insulæ munera offe-  
rent, Reges Arabum & Seba dona adducent. v. 11. Et adorabunt eum omnes  
Reges, & omnes gentes servient ei. Esa. 11. v. 9. Repleta est terra scientiâ  
Domini. Esa. 27. v. 6. Germinabit Israël, & implebit faciem orbis fructibus.  
Esa. 41. v. 5. Viderunt insulæ, & tremuerunt. Esa. 42. v. 10. Cantate Domi-  
no canticum novum, laus ejus ab extremis terræ. Esa. 49. v. 6. Parum est, ut  
sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob: Ecce, dedi te in lucem gentium,  
ut sis salus mea, usque ad extremum terræ. Similia habentur v. 19. seqq.  
Esa. 52. v. 10. Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Esa. 53. v. 12.  
Dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia. Esa. 54. v. 1. Lauda steri-  
lis, quæ non parvum, quoniam multi filii deserta magis, quam ejus, quæ habe-  
bat virum v. 2. Dilata locum tentorii tui, &c. v. 3. Semen tuum gentes hæ-  
reditabit, Esa. 60. v. 3. seqq. Ambulabunt gentes in lumine tuo; & Reges  
in splendore ortus tui. Malach. 1. v. 11. Ab Ortus Solis usque ad Occasum ma-  
gnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco adolebitur nomini meo  
obla-



*oblatio munda.* Huc etiam referri potest vaticinium Christi, Matth. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.* cap. 26. v. 13. & Marci 14. v. 9. *Amen dico vobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, quod hæc fecit in memoriam ejus.* Marc. 13. v. 10. *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium.*

*Præcepta Christi leguntur, Matth. 28. v. 19. Euntes ergo, docete omnes gentes.* Marci 16. v. 15. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature.* Luc 24. v. 46. 47. *Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes.* Act. 1. v. 8. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, usq; ad ultimum terræ.*

*Complementa vaticiniorum & præceptorum Christi referuntur.* Marci 16. v. 20 *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante.* Act. 13. v. 46. *Quia repellitis verbum Dei, ecce convertimur ad gentes.* Rom. 1. v. 8. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Coloss. 1. v. 6. *Evangelium est in universo mundo, & fructificat.* v. 23. *Evangelium prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est.* Sic vaticinium Psal. 2. exponitur de Christo & ejus Evangelio Act. 13. v. 83. Heb. 1. v. 5. *Vaticinium de sono exeunte in omnes terras, Psal. 19. impletum est per prædicationem Apostolicam, Rom. 10. v. 18. Vaticinium de luce gentium Esa. 49. exponitur iterum de Christo & ejus Evangelio, Act. 13. v. 47.*

## XVII.

(2.) Deinde dicitur Ecclesia Catholica, *ratione continuationis, Continuationis,* quia sequentibus etiam seculis non fuit Ecclesia alligata ad certum locum, sed dispersa per totum mundum, unde scribit Augustinus epist. 170. ad Severinum: *Ecclesia Catholica καθολικὴ* græcè appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Item lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 2. *Majores nostri Ecclesiam nominârunt Catholicam, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est, (nempe mundum) Secundum totum enim καθ' ὅλον dicitur.*

## XVIII.

Porro (3.) ita nuncupatur, *Ratione status presentis, quia semper, Et status presentis,* & in præsentibus etiam Ecclesia quoad locum est Catholica, *presentis,* quod

C

quod



quod tamen intelligi non debet positivè, quasi necessarium sit, ut illa semper in omnibus provinciis, vel in maxima orbis parte reperiat. Nam (1.) hoc non esse perpetuum, docent tum vaticinia. *Matth. 24. v. 24. Luc. 18. v. 7. 2. Thess. 2. v. 9. 10. Apoc. 12. v. 6. 14. cap. 17. v. 2. 3. 4. seqq.* tum experientia, præsertim Arrianismi tempore, ubi totus fermè orbis factus est hæreticus. (2.) Non est Ecclesiæ soli proprium, quia Judaismus quoq; per totum terrarum orbem dispersus est, siquidem vix datur provincia, ubi non quidam inveniantur Judæi. (3.) Ipsi Jesuwitæ fatentur, hujusmodi positivam & actua-lem diffusionem non reperiri, de quo videatur *Stapletonus*, in *Relect. p. 29. & Bellar. l. 4. de Eccl. cap. 7.* Neq; insuper debet istud intelligi *respectivè*, quasi oporteat Ecclesiam semper esse numerosio-rem respectu Judæorum & hæreticorum, ut asserit *Stapletonus p. 50.* Nam istum Catholicismi modum respectivum esse falsum, supra ostendimus. Intelligendum autem est, quod diximus (1.) *negativè*, eò, quòd non sit alligata ad certum locum, non excludat ullam provinciam, aut nationem, ita declarante *Augustino*, l. de *Unit. Eccl. cap. 6. & Beda* in cap. 6. *Cant.* Ut enim Universalia dicuntur esse *ubiq;*, 1. *post. 28.* non positivè, quòd existant in omnibus omni- nò locis; sed *negativè*, eò, quòd non sint in uno tantum & certo loco, explicante Thomà: Sic etiam Ecclesia præsens, omniumq; temporum, est ubique, non quòd sit in omnibus locis; sed quia non est uni certoq; loco affixa. Hunc modum declaravit *Ludovicus Vives*, ita scribens in l. 10. de *C. D. cap. 32.* *Hæc est pietas nostra, quæ idèò Catholica dicitur, quòd non certo alicui populo tradita est, sicut Judæica; sed toti generi humano: nec ullum excludit, omnibus per hanc salvos esse licet, & sine hac nulli.* (2.) *Succesivè*, quia licèt non simul sit in variis provinciis, subinde tamen migrat de una in aliam, atq; sic totum pervagatur mundum, ut propterea ratione hujus successivæ diffusionis non immeritò dicatur Catholica, quem respectum exposuit *Hieronimus* in comm. ad cap. 45. *Es.* & concedit *Driedo*, par. 2. de *Eccl. dogm. l. 4. c. 2.* nec non *Stapletonus & Bellarminus*, ll. dd. Testata idipsum est, & testatur etiamnum experientia, evincens, Evangelium non uno ac eodem tempore pari & æquali gradu omnibus simul gentibus prædicatum esse, vel adhuc prædicari; sed mi-  
grat



grat Ecclesia de gente in gentem, ab oriente in occidentem, à Meridie in Septentrionem, & contrà. Cæpit Evangelium prædicari in Judæa, pòst migravit in Syriam, inde in Ciliciam, in Cyprum, Cappadociam, Græciam, Illyricum; ex Græcia posterioribus temporibus propagatum est in Italiam; inde in Galliam, Hispaniam, & vicina regna; nec dubium est, quin porrò migratura sit Ecclesia, & porrò perventura usque ad barbaras gentes, & in ipsam Americam, cujus rei fortassis initia fiunt à Jesuwitis, sincerioris doctrinæ in ea loca propagandæ, quasi quædam præludia facientibus. Utrumq; modum hæctenus explicatum, concedit Costerus in Enchir. cap. 2. p. 89. ita scribens: *Non ex eo dicitur Ecclesia Catholica, quòd eodem tempore totius orbis ditiones occupat, hoc quippe nec in hunc usq; diem fortassis contigit, quando Antarcticis hominibus, & qui extremas, remotissimasq; America oras incolunt, fides Christi nunquam innotuit; Sed his duabus potissimum de causis, tum quòd nulli nationi, ut olim Lex Moysis Judæis, sit alligata, nulloq; loco conclusa; tum quòd juxta Veterum Prophetarum vaticinia aliquando per singula orbis loca seminandum sit Evangelium, plantanda fides, atq; extendenda Ecclesia, quod nulli alteri cætui contingere poterit.* (3.) Participativè, quatenus pars est Catholicæ Ecclesiæ, collectim sumtæ, adeoq; communicat cum primitiva Novi Testamenti Ecclesia, per universum orbem dispersa. Hinc apertè scribit Bellarminus lib. 4. cap. 7. col. 222. B. *Si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dummodò clarè ostenderetur, eam esse unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diversis, in toto mundo, quemadmodum nunc quælibet Diæcesis dicitur Catholica, quia est continuata cum aliis, quæ faciunt unam Ecclesiam Catholicam.* Consentit Stapletonus, pag. 49. scribens: *Illam societatem Christianorum esse veram Ecclesiam, quæ in fide communicat illis fidelibus, quorum communio successivè, & per partes, per omnes gentes diffusa & propagata fuit.* (4.) Potestativè vel virtualiter, quia semper hanc habet *δύναμιν* sese dilatandi & diffundendi, beneficio Evangelii, quod instar lucis subitò sese diffundere potest, unde fit etiam, ut nonnunquam velociter ac præter opinionem crescat Ecclesia, sicuti factum primo reformationis tempore. Hinc minimè negamus, quòd Ecclesia præsens possit esse, imò sit



etiam satis ampla & diffusa, sed tantum negamus necessitatem & perpetuitatem hujus diffusionis, quam urgent Papicolæ, quum tamen Ecclesia sæpius in angustos terminos coarctata fuerit, adeoq; nemo mirari debeat aut deficere, si idem hodierno tempore videat contingere.

Si quis objiciat, *hunc esse Donatistarum errorem*, qui docuerint similiter, suam Ecclesiam, licet in sola degeret Africa, tamen esse Catholicam, ob communionem cum primitiva ubiq; diffusa Ecclesia, & ob virtutem diffusionis; *illi respondeo*, quod Donatistæ hoc docentes non erraverint in exponendo vero modo, cur Ecclesia dicatur Catholica: sed tantum in ejus modi ad suum cætum applicatione. Nec enim probare poterant, quod sua Ecclesia Africana sit eadem cum primitiva, quippe in qua semper fuerunt boni & mali, ipsi autem non volebant, nisi bonos in sua communionem tolerare. Errabant insuper in eo, quod statuebant, Ecclesiam tantum esse in Africa, illo etiam tempore, quo manifestè in toto mundo adhuc dilatata erat.

#### XIX.

(4) Addunt nonnulli hoc, quod etiam *ratione futuri status* Ecclesia nominari possit *Catholica*, quandoquidem Evangelium adhuc ante diem ultimum in universo orbe per proprios in singulis provinciis præcones sit divulgandum, & pleriq; insuper Judæi sint illud acceptaturi, quam universalem prædicationem Papistæ dicunt antecessuram esse adventum Antichristi. Ad quod breviter dico (1.) *falsum esse*, quod nondum advenerit Antichristus, & ejus adventum præcedere debeat nova quædam universalis prædicatione, ut alibi demonstratur. (2.) *Incertum esse*, an plerique Judæi & gentiles adhuc perventuri sint ad veritatis agnitionem. Non quidem pertinaciter illud negamus, quia fieri posset, si Deo placeret; neque tamen temerè istud affirmamus, quia rationes apodicticas nondum percepimus. Hunc igitur modum, quum nonnihil incertus sit, haut adeò urgemus; sufficiant priores tres, quorum summa, *Ecclesiam à loco dici Catholicam, respectu temporis primi, sequenti & presentis*. Fuit enim tum in primordio, tum in progressu *Catholica*. Est etiamnum, eritq; semper *Catholica*, non quod  
neces-



necessariò terras omnes occupare debeat; sed *negative*, quia non est uni loco affixa; *Successive*, quia pedetentim pervadit orbem; *Participative*, quia pars est Ecclesiæ collectim sumtæ, & communicat cum prima ubiq; dispersa Ecclesia; *Potestative*, quia ulterius crescere, & dilatare se potest in universo mundo.

XX.

Secunda est *Universalitas temporis*, à qua Ecclesia rursus denominatur Catholica, quoniam omne tempus, præteritum, præsens & futurum complectitur. Nam I. *Quoad præteritum tempus*, Ecclesia semper FUIT à primordio Novi Testamenti, usque ad hæc tempora. Sive enim initium capias à Christi nativitate, sive à Johannis ministerio, sive ab ascensione Christi, & egressu Apostolorum in omnes gentes, semper fuere aliqui, Jesum Nazarenum pro Messia agnoscentes, & Evangelicæ doctrinæ adstipulantes. Angusta quidem, aliqua tamen erat Ecclesia Novi Testamenti prima, cujus membra fuerunt Zacharias, Elisabeta, eorum vicini, mater Domini, pastores Bethlehemitici, Magi ex Oriente, Simeon, Hanna & similes, quorum fit mentio Luc. 1. & 2. Post autem subinde illa crevit, sub præcursore Johanne, ad quem tota Judæa exivit, Matth. 3. v. 5. sub ministerio Christi, qui XII. Apostolos, & LXX. discipulos elegit, emisitque, ut illorum operâ non pauci fuerint conversi, præsertim post Salvatoris ascensionem, ubi Evangelium in omni natione fuit prædicatum, Coloss. 1. v. 6. Ut autem primo seculo cæpta; sic sequentibus cõtinuata, & ad posteros semper propagata fuit Ecclesia, de qua continuatione & propagatione consuli possunt *Centuriæ Magdeburgenses*, quibus addatur *Catalogus testium veritatis*, & *Usserius de Christianarum Ecclesiarum successione & statu*. Illud tantùm notetur, velut in transitu, quòd Ecclesia, licet post Christum conceptum & natum semper fuerit, non tamen eodem semper modo extiterit, uti videtur Papicolis. Nam quandoq; floruit quoad externum statum, & doctrinæ puritatem; nonnunquam verò respectu utriusq; nonnihil defloruit. Quod enim (1.) *statum externum* attinet, non semper habuit publicum liberumq; exercitium, sed sæpius fugere & latere coacta est ab Imperatoribus Romanis, ab hæreticis, & Romanis Pontificibus,

*Partim  
temporis,  
Præteritis*

C ;

bus,





bus, unde tria vulgò numerantur Ecclesiæ Christianæ secula; *Primum* est *violentiæ*, ubi copiosus martyrum sanguis effusus, quod duravit usque ad tempora Constantini Magni, sub quo respirare & florere cepit Ecclesia. *Secundum* est *fraudentiæ*, ubi surrexerunt hæretici callidi, & turbatores Ecclesiæ fraudulentæ, ut *Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches*, & similes, qui postmodum in quatuor Conciliis Oecumenicis, Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi sunt damnati. *Tertium* est *violentiæ & fraudulentæ simul*, quod sexto seculo sumit originem, ubi in Antichristum paulatim degenerârunt Episcopi Romani, ad se rapientes primùm omnem potestatem Ecclesiasticam; post etiam politicam; & superstitiosa dogmata, ritusq; magno numero invehentes, à quibus vi & fraude suppressi sunt multi, qui bestiam illam adorare noluerunt. (2.) Quod *doctrinam ipsam* concernit, nec illius ratione Ecclesia semper uniformis extitit. *Primo tempore* fuit *pulchrè ornata*, persistens in simplicitate ac puritate doctrinæ Apostolicæ; *Deinde incæpit* fieri & esse *nonnihil maculata*, dum Patres suis nonnunquam indulgentes speculationibus, peregrina dogmata proposuerunt; *donec tandem* reddita fuerit *planè deformata* sub Papatu, si externam ejus formam consideres; semper tamen in mediis tenebris etiam latuerunt & conservati sunt quidam lucis filii, neque dogmata, neque tyrannidem Papæ adprobantes. Ex quibus omnibus patet, inter nos & Pontificios consensum dari quoad rem, vel perpetuam existentiam Ecclesiæ, sed non quoad modum existentia. Fatemur utrinque, quòd Ecclesia usque ad hæc tempora semper fuerit; addunt verò isti, quòd unâ semper fuerit conspicua & visibilis, quem modum non fuisse perpetuum, nos asserimus.

## X XI.

Movet hic objectionem *Gregorius de Valentia*, l. 6. Anal. cap. 4. pag. 38. *Ubinam* fuerit Ecclesia, quando Apostoli omnes in passione Christi scandalum sunt passi? Ad quam respondent quidam Pontificii, fidem tum mansisse in *sola beata virgine*; Quò etiam alludit *Costerus* in *Enchir.* cap. 2. pag. 93. scribens; *Sanctuatem tempore passionis Domini-æ, in sola virgine sacratissima viguisse*: Sed quomodo unica persona constituere potuit totam Ecclesiam? Quare opinionem istam expressè



presse rejicit Valentianus, scribens litera D. *Id verum non est. Primum, quia si maxime omnes tunc Apostoli fidem abjecissent, non inde consequitur, in nullo, praeterquam in B. Virgine fidem permansisse. Potuerunt enim alii perseverare fideles, etsi de aliis quidem tacetur. Deinde nego, amisisse fidem omnes omnino Apostolos. Imo retinuerunt eam aliqui. Et certe id defendit de D. Petro manifeste D. Hilarius. Neque, vero aliud ex Scriptura colligi potest, quam quod omnes Apostoli scandalum passi sunt in illa nocte, quod attinet quidem ad externam fidei confessionem. Id autem fieri potuit, licet illorum aliqui fidem ipsam animo retinuerint.* Hæc Valentianus. Ubi observa (1.) *dissensionem Papistarum, dum aliqui affirmant, solam Mariam tempore passionis Christi credidisse; alii vero id ipsum negant.* (2.) *Ingenuam confessionem Valentiani, quod multi fideles potuerint perseverare, de quibus taceatur, qui utique tum temporis latuerunt, adeoque concedit exemplum Ecclesiae latentis & invisibilis.* (3.) *Absurdum illud maximum, quod Petrus abnegator, intus retinuerit fidem, id quod est ἀντιφατικόν. Nam Christum abnegare, & in Christum credere, vel credendo ipsum recipere & profiteri, sunt contraria, quam tamen absurdam ἀντιφασιν Pontificii cum Calvinianis communem habent.* Cæterum in responsione Valentiani nihil desideramus. Omnino enim tempore passionis Christi Ecclesia conservata fuit, tum in quibusdam fidelibus latentibus, tum in quibusdam Apostolis, fidem non omnino amittentibus.

## XXII.

*II. Quoad presens tempus, Ecclesia etiamnum EST & perdurat, id quod ab omnibus conceditur.* Licet enim disputetur acriter, quænam sit vera Ecclesia, à nemine tamen negatur, esse, & hoc tempore in terris reperiri veram Ecclesiam.

*Præsentis,*

## XXIII.

*III. Quoad futurum tempus, Ecclesia semper ERIT & durabit usque ad finem seculi: quod ipsum apertis confirmari potest promissionibus, quæ leguntur Esa. 9. v. 7. Super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet & corroboret in justitia, & in judicio, à modo & usque in sempiternum. Matth. 16. v. 18. Super Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalent adversus eam. Matth. 28.*

*Et futuri,*

*v. ult.*



v. ult. *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.* Hinc dedit, & semper dat pastores Dominus ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, Eph. 4. v. 12. 13. Et Christus Ecclesiam suam comparavit agro, in quo crescunt Zizania, usque ad messem, id est, ut ipse exponit, usq; ad consummationem seculi, Matth. 13. v. 39. Sic Paulus ait: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat,* 1. Cor. 11. v. 26. Nec contrariatur istis promissionibus Christi vaticinium, Luc. 18. v. 7. *Putasne filius hominis veniens, inveniet fidem in terra?* Illo enim modo dicendi paucos tunc futuros esse fideles, Christus significavit, nullos fore non significavit, ut loquitur Valent. l. d. aliis Pontificiis hac in parte contradicens, de quo dicto vide plura in depulsione Excubiatarum Papisticarum, pag 65. seqq.

XXIV.

Partim  
persona-  
rum,

Tertia est *Universalitas personarum plurium*, à qua Ecclesia similiter appellatur Catholica, quoniam omnis generis personas jam olim complexa est, etiamnum cōplectitur, & perpetuò cōplectetur. Nullus enim hominum ab ea excluditur, sed universi ad illam vocantur, cujuscunque sint sexus, ætatis, nationis aut conditionis. *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui times eum, & operatur justitiam, acceptus est illi,* Act. 10. v. 35. *Non est Judæus, neq; Grecus, non est servus, neq; liber, non est masculus neq; femina: Omnes vos unus estis in Christo Jesu,* Gal. 3. v. 28. *Christus parietem mæcærie solvit, & ex Judæis gentibusq; unum fecit,* Eph. 2. v. 14. *Non est gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Schyta, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus,* Coloss. 3. v. 11. Hinc Vener. Beda scripsit in Comm. super Samuel. *A congregatione Universitatis Ecclesia Catholica nomen accepit. Ex omnibus quippe ætatibus Ecclesia congregatur.* Chrysost. in cap. 2. Esa. *Ecclesia expansis simul, & reclinatis manibus*

Et per hanc  
secundam  
rationem  
Catholicis-  
mi distin-  
guitur Ec-  
clesia.

*universas undecunq; terrarum gentes excipit.*

XXV.

Atque hæc secunda Catholicismi ratio, est à *quantitate desumpta*, & ab ipsa Ecclesia, tanquam affectio, realiter distincta. Nam aliud est ipsa Ecclesia, & aliud est *universalitas loci*, per quem diffunditur; *temporis quo invenitur; & personarum*, ex quibus colligitur.



gitur. Sicut autem per primam rationem à quidditate petitam, Ecclesia distinguitur à cœtibus particularibus; Ita per hanc secundam rationem, à quantitate mutuata, distinguitur eadem.

1. *Omnimodè à Synagoga Judaica Veteris Testamenti.* Illa enim ordinariè existebat in sola Palæstina, & ad certum locum, nempe templum Hierosolymitanum, erat alligata: Nec durare debuit omni tempore, sed tantùm usq; ad λέγξ incarnationem? Nec colligebatur ordinariè ex universis hominibus; sed tantùm ex posteris Abrahami. Non quidem interclusus erat gentibus omnis aditus ad veri Dei agnitionem; attamen, si ad eam pervenerunt aliqui, non sunt habiti pro membris Israëlitis quoad carnem & Spiritum simul, nec pro membris istius peculii divini, ex quo Messias erat oriundus, ideoq; dicti sunt προσήλυτοι, Actor. 2. v. 11. id est, adventitii, accessorii, à verbo προσελθεῖν, quod est accedere; Unde προσέλευσις, vel προσήλυσις, accessus, & προσήλυτος, accessorius. Synagoga igitur nec quoad locum, nec quoad tempus, nec quoad personas fuit ita universalis & Catholica, ut est Ecclesia Christiana.

Tum omnimodè à Synagoga Judaica.

2. *Aliquomodo à Catibus hereticis.* Unde Pacianus epist. ad Sempron. *Ab heretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, dum Catholicus dicitur.* Nam licet his quædam universalitas vel loci, vel temporis, vel personarum convenire possit, non tamen omnis simul, vel respectu omnium modorum sumpta, illis competit. Nulla enim hæresis est universalis *ratione loci*, quoad statum præteritum, futurum & præsentem simul, & tum negativè, tum successivè, tum participativè, tum potestativè: Nulla insuper hæresis est universalis *ratione temporis omnis*, quia vel cæpit post Apostolorum tempora, vel hodiè non durat, vel non semper durabit usque ad mundi consummationem. Quod verò *universalitatem personarum* attrinet, heretici quidem varii generis homines seducunt, & sic tertium Catholicismi respectum communem habent: quia tamen priores duo iis applicari nequeunt, hinc Catholici nuncupari minimè possunt. Et notandum præterea discrimen inter Ecclesiam *primitivam* & *successivam*. Olim quidem ex solo nomine Catholici iudicium fieri poterat de veritate fidei propter ex-

Tum aliquomodo à Catibus hereticis.

D

ternam,



ternam, eamq; illustrem Ecclesiarum omnium communionem, quæ exercebatur & conservabatur literarum formatarum confederatione, mutuâ instructione, avtographorum commodatione, communium confessionum subscriptione, synodorum coactione, & mutuâ hæreticorum confutatione & excommunicatione, unde fiebat, ut si quis ex communionem unius Ecclesiæ particularis excideret, mox Catholicus esse desineret, statimq; hæreticus aut schismaticus non obscure agnosceretur. Non diu autem duravit hæc Ecclesiæ designatio, petita à nomine Catholica, partim ob hæreticorum dilatationem, quia iis etiam longè lateque diffusis, non potuit universalitas amplius haberi pro certo veræ Ecclesiæ signo; partim ob imperii Romani, & consequenter ipsarum Ecclesiarum distractionem, quæ impedivit earum consociationem, & universalium Conciliorum coactionem, donec tandem Ecclesia Romana proprio ausu se exemit à sedium Patriarchalium de jure Ecclesiastico institutarum paritate, seque novâ & antea, inauditâ ratione Catholicam vocavit, ab universali dominatu in omnes cæteras Ecclesias, quæ fufius deducta invenies in Saxon. Evang. Dn. D. Höpffneri, Sect. 2. par. 1. cap. 1. f. 181. seqq.

#### XXVI.

*Vincentius Lirinensis* breviter complexus est tres illos, hæcenus enumeratos, universalitatis quantitativæ modos, quum scribit: *Catholicum est, quod ubique, quod semper, & ab omnibus creditum est.* Per *semper*, universalitatem temporis; per *ab omnibus*, universalitatem personarum innuit. Hanc secundam rationem attenderunt etiam Imperatores; ut *Theodosius*, qui voluit, ut illorum duntaxat Ecclesia diceretur Catholica, qui Trinitatem divinam æquali honore colerent. *Sozom. lib. 7. cap. 4. & Justinianus*, qui quatuor symbolorum dogmata vocat Catholica, eò, quòd ubique, & semper, & ab omnibus credita sint. *Cod. de Summ. Trin. l. 1. & 7. §. 4. Novell. 131. cap. 1. Idem in Sacra forma ad Patres Concilii Constantino §. 5. fol. 627. in Constit. Imper. Ludolphus IV. Imperator, in rescript. contra Johan. 22. l. 1. Const. Imper. fol. 101. similiter Childevicus I. Rex, fol. 641. & Carolus M. fol. 129.*

#### XXVII.



Tertiò tandem vocatur Ecclesia Catholica, ratione qualitatatis suæ, ad perfectam differentiam omnium hæreticorum cœtuum. Per istam verò qualitatem intelligo constantem susceptionem & professionem universæ fidei vel doctrinæ, scriptis Prophetis & Apostolicis comprehensæ. Vera enim & Catholica Ecclesia religiosè credit, traditq; universa, quæ docuerunt Prophetæ & Apostoli, neque asserit quicquam Dei verbo contrarium. Atque hoc sensu Catholicum idem est, quod *orthodoxum*. Qui enim sincerè omnia credit, quæ credenda in verbo Dei proponuntur, ille orthodoxus est, & in rebus fidei non errat. Ut enim *ἀρετικὸς* ille dicitur, qui dogma quoddam peculiare, & Scripturis adversum spargit: Ita *καθολικὸς* est, qui singularia hominum dogmata non sequitur, sed universalem, seu universam doctrinam Propheticam & Apostolicam unicè amplectitur, consensumq; illum universalem fidei sartum tectumq; conservat. Hinc Cyrillus Hierosolymitanus c. 13. Catech. scribit: Ecclesiam nominari *καθολικὴν*, ἵνα τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα εἰς γνώσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα, h. e. quia doceat universaliter & perfectè omnia dogmata, quæcumq; homines tenentur cognoscere. Sic Vincentius Lirinensis l. adver. hæreses, c. 25. ait: Ille est verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui corpus Christi diligit; qui divinæ religioni, qui Catholice fidei nihil præponit; non hominis cujusdam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non Eloquentiam, non Philosophiam; Sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, & stabilis permanens, quicquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum, credendumq; decernit. Quicquid verò ab aliquo deinceps, imò præter omnes, vel contra omnes sanctos novum atq; inauditum subinduci senserit, id non ad religionem; sed potius ad tentationem intelligat pertinere. Lactantius lib. 4. de vera Sapi. cap. 30. Sola Ecclesia Catholica est, quæ verum Dei cultum retinet. Augustin. quæst. in Matth. q. 11. bonos Catholicos definit, quod sint ii, qui & fidem integram sequuntur, & bonos mores; Idem lib. 1. de moribus Eccl. Cathol. c. 18. Catholicam fidem & Ecclesiam describit, quæ verita-

3. Ratione  
qualitatis,  
ad perfe-  
ctam diffe-  
rentiam  
hæretico-  
rum.



tem & consensum Veteris & Novi Testamenti retinet, Christum per fidem habitantem in se habet, & impletur omni plenitudine Dei. Pacianus epist. 1. ad Sempron. Catholicus ubiq; unum, vel (ut doctiores putant) obedientiâ omnium nuncupatur, mandatorum scil. Dei. Et in hunc finem citat 2. Cor. 2. v. 9. & Rom. 5. v. 19. referente Whitackero lib. de Eccl. p. 297.

### XXVIII.

Que ratio  
maximè  
principalis  
est.

Atque hæc est maximè principalis ratio, ob quam Ecclesia nuncupatur Catholica, quæ ipsi uni, soli, & semper, adeoque in quarto modo propria est, per quam etiam primò & absolutè distinguitur à cunctis cœtibus hæreticis, quippe, qui universam doctrinam, Scripturis comprehensam, minimè suscipiunt, sed ejus duntaxat partem, simulq; nova, & partim ἀρεσθα, partim ἀντι-ρεσθα dogmata magno numero admiscunt, ob quam singularium & ἀντιρεσθῶν placitorum admixtionem non immeritò Catholicorū nomine censentur indigni, & distinctionis ergò nuncupatur hæretici. Quumq; hæc tertia denominationis ratio exprimat internam quandam Ecclesiæ affectionē, hinc appellari etiam solet *universalitas interna*, sicuti secundà à quantitate, & externis circumstantiis, loci, temporis ac personarum petita, differentiæ causâ vocari potest *externa*; & prima, ab Ecclesiæ quidditate sumta, nuncupari non inconcinne potest *Entitativa, vel Logica*.

### XXIX.

Ut igitur tandem in summam contrahantur omnia, dico breviter; quòd Ecclesia sit Catholica vel Universalis [1.] *Logice vel quidditative*, seu respectu sui esse & modi considerandi. [2.] *Physicè, vel quantitative*, propter universalitatem loci, temporis & personarum. [3.] *Theologicè, vel qualitative*, propter susceptionem & professionem universæ doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, quæ ipsa etiam non secus atque Ecclesia ob eodem respectus dicitur Catholica, nimirum (1.) *Ratione sui*, quatenus notat, non unum, alterumve particularem articulum, sed universam fidem, vel totum systema omnium articulorum fidei. (2.) *Ratione quantitatis*: Quia omnia loca, omnia tempora, & omnes, cujuscunque generis sint, personas complectitur, unde Apostolus Tit. 1. v. 4. appellat *νομιῶν*  
ἡμῶν



πίστιν, fidem communem, h. e. Catholicam, vel ab omnibus veris Christianis communiter susceptam. (3.) *Ratione qualitatis*, quia in universum consona est sacris literis, omniaq; comprehendit, quæ in iis tanquam ad salutem scitu credituq; necessaria traduntur. Atque hinc fit, ut quivis etiam in Individuo, qui tum illius Catholicæ Ecclesiæ membrum; tum hujus fidei Catholicæ professor est, *Catholicus* appelletur. Licet enim videatur ineptum & ἀντιφατικόν esse, si persona singularis dicatur esse καθολική vel universalis, quod etiam notavit D. Græverus, Tom. I. disp. AntiJes. pag. 415. nulla tamen hæc est absurditas vel contradictio, siquidem singulares homines dicuntur Catholici, non quod sint quoddam Ens per essentiam universale; Sed quia sunt membra veræ Ecclesiæ Catholicæ, & socii doctrinæ universalis, quæ sola vera & divinitus revelata est. In Theologia igitur nostra habemus hoc ἁπίδοξον, quod *singularia sint aut vocentur καθολικά vel universalia*, nempe propter insitionem in corpore universalis Ecclesiæ, & professionem universalis fidei, omnium fidelium consensu adprobata.

#### Quæstio IV.

*Num Catholicismus vel Universalitas sit perpetua solius Ecclesiæ veræ affectio?*

XXX.

Ad quæstionem hanc respondebimus per duas conclusiones:

PRIOR: Universalitas, si sumatur ratione omnium modorum, respectu quidditatis, quantitatis & qualitatis simul, est perpetua solius Ecclesiæ veræ affectio. Notetur autem, quod isti modi non sumendi sint divisim, sed conjunctim. Nam *universalitas Logica vel essentia*, per quam Ecclesia est quiddam universale, ex multis particularibus Ecclesiis collectum, & iis contradistinctum, si sola sumatur, convenit etiam Ecclesiis falsis, quæ similiter considerari possunt vel collectivè, ut quoddam universale, vel disjunctivè, ut multa singularia. *Universalitas verò*

*Universalitas, si sumatur ratione omnium modorum, est vera vera Ecclesiæ affectio.*

D 3

*Physica*



*Physica vel quantitatis*, comprehendens varia sine discrimine loca, tempora & personas, licet ex parte conveniat tum Synagogæ Judaicæ, tum cœtibus hæreticis; nunquam tamen iis attribui potest ex toto. Nec n. ulla nominari potest Ecclesia hæretica, quæ statim à primordio Novi Testamenti omni loco & tempore fuerit, & usque ad finem seculi certò permansura sit. Cum primis autem *universalitas Theologica, vel qualitatis*, in quarto modo Ecclesiæ veræ est propria. Consistit ea in adprobatione universalis doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, quam quum soli orthodoxi totam suscipiant & illæsam; soli etiam sunt veri Catholici, quum contra hæretici semper quosdam fidei articulos convellant, & sic universam fidem vel doctrinam, prout divinitus revelata est, minimè profiteantur. Olim quidem doctrinæ cœlestis universæ professio similiter competebat Judæis etiam, sed quoniam Synagoga erat ad certum locum, tempus & personas alligata, hinc nunquam dicta est Catholica, qui proinde titulus Ecclesiæ Novi Testamenti manet proprius, quoniam illa sola gaudet cōjunctim universalitate tum externâ loci, tēporis & personarum, per quam distinguitur à Synagoga; tum internâ doctrinæ divinitus revelatæ, per quam distinguitur ab hæreticis. Utraque igitur simul sumta solius Ecclesiæ Novi Testamenti est affectio, eamq; ab omnibus aliis cœtibus clarissimè distinguit.

### XXXI.

*Universalitas, prout eam Pontificii describunt, non est solius Ecclesiæ affectio.*

POSTERIOR: Universalitas, prout eam Pontificii describunt, non est solius Ecclesiæ affectio. Nam iis catholicum vel universale primò nihil est aliud, quàm amplum, & per multas provincias diffusum, multorumq; consensu approbatum, uti supra quæst. 2. ex propriis ipsorum verbis ostensum est. Amplitudo autem, diffusio, & temporis diuturnitas, non competit soli Ecclesiæ; sed unà Synagogæ, quæ non minus ab initio Novi Testamenti, imò etiam antea extitit, semper mansit, & per omnes terræ provincias etiamnum disseminata est. Nam in quacunq; regione inveniuntur Papistæ, ibi etiam inveniuntur Judæi, quippe quos Christi & Deiparæ blasphematores lubentius apud se tolerant, quàm nos Evangelicos.

### XXXII.



Sed contrà scribit Tannerus par. 2 Anat. demonstr. i. pag. 6. Significat nomen Catholicae, certam quandam conditionem & proprietatem Ecclesiae Christianae, nempe universitatem locorum & temporum &c. quae juxta Scripturarum oracula Ecclesiae quidem verae omninò competere debet, alii verò praterquam verae Ecclesiae Christi nullo modo convenire potest, quandoquidem omnis haeretica Ecclesia, hoc ipso, quòd à vera Ecclesia deficiens, eà posterior est, aliquando non erat, quum vera Ecclesia erat; quo ipso jam universalis seu Catholica dici nullo modo potest.

R. [1.] Catholicismum, sed verè definitum, esse omninò veram Ecclesiae affectionem, lubenter concedimus: Si autem per eum sola notetur multitudo & amplitudo; tum hanc non esse proprietatem soli Ecclesiae competentem, ipsa evincit experientia. [2.] Synagoga Judaica non est posterior Ecclesiam Christianam, sed prior, ideoq; licet omnes haeretici, Christum profitentes, sint illam posteriores, ideoq; non catholici quoad tempus; Judæis tamen universalitas temporis competit, & multò magis, quàm Christianis. Vera autem Ecclesiae affectio sic uni & soli Ecclesiae convenire debet, us neque de coetibus Christianorum haeticis; neque de Synagoga Judæorum, neque de quavis alia secta possit affirmari, qualiter quum amplitudo & diuturnitas temporis sese non habeant, pro vera Ecclesiae affectione non possumus eam agnoscere.

### Quaestio V.

*Num Lutherus è Symbolo Apostolico nomen Catholicae Ecclesiae fraudulenter expunxerit, & sacrilegè?*

### XXXIII.

Flagellant hoc nomine Lutherum Pontificii, de quo ita dixerit Tannerus, par. 2. Anat. dem. i. §. 1. p. 3. Catholicae appellationem expriment omnes Symboli Apostolici versiones, etiam barbarae seu vulgares, quae ex Graeca vel Latina expressae sunt; speciatim Germanica, quae vocem

*Affirmant  
calumniosi  
Papiste.*

*Catho.*



Catholicam rectè reddit per voculam *Allgemein* / quin & jam olim sub ini-  
-riam Germanie ad fidem conversa *Symbolum Alemannicum* ita fuisse reci-  
-tarum: *Kilaubu in in Wiha Khirihhu Catholica*, alibi ex *Frehero* re-  
-tulimus. Solus *Lutherus*, ne ex ipso *Apostolico Symbolo* se suamq; doctrinam  
-omnibus explodendam & irridendam propinaret, *Symbolum Apostolicum*  
-germanico idiomate ita reddidit, ut voculam *Catholicam* sacrilegè omitte-  
-ret, eiusq; loco *Christianam* (*eine Christliche*) substitueret, cum detesta-  
-bilis falsi crimine, & impia plebis *Lutherana* deceptione: quam ob hanc ipsam  
-causam vero *Apostolorum Symbolo* spoliavit. Adhuc autem prolixior est  
-*Tannerus* ille, par. 1. *Anat. demon.* 3. pag. 60. seqq. ubi *Lutherum* vocat  
-sacrilegum *Apostolici Symboli falsarium*, & inde colligit, à *Luthero* Ger-  
-manis non potuisse tradiveram & sinceram fidei confessionem.

XXXIV.

*Pharisæis  
culicem ex-  
colantibus  
bac in par-  
te similes,*

*Nos nega-  
mus,*

*Quia dubi-  
um est, an  
vox Catho-  
lica ab ipsis  
Apostolis  
Symbolo sit  
inserta.*

Ad quam virulentam objectionem sequentia responsi loco  
-sibi habeant. 1. Produunt *Jesuwitæ*, se *Pharisæorum* successores  
-esse, de quibus *Matth.* 23. v. 24. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum  
-autem deglutientes*: quod proverbium in eos dicitur, qui minutula  
-urgent, & majora negligunt, vel festucam aliis exprobant, & tra-  
-bem propriam non vident. Nam ipsi per horrenda sacrilegia &  
-falsi crimina pervertunt *Scripturas*, totamq; corrumpunt doctri-  
-nam *Symboli Apostolici*, & interim, ut videantur religiosi, ob u-  
-nius vocis *Catholicæ* versionem, à *Luthero* factam, infandum,  
-quantos clamores excitent. Hoc certè nihil aliud est, quàm ca-  
-melum deglutire, & culicem excolare, id quod *Pharisaicum*.

2. Adhuc dubium est, an vox *Catholicæ* ab ipsis *Apostolis*  
-*Symbolo* sit inserta. *Pacianus* l. de nom. *Cathol.* non abnuitt,  
-*Apostolorum* tempore neminem vocatum fuisse *Catholicum*. *Cypria-  
-nus* in *expof. Symboli* pag 382. 383. ponit hæc tantum verba: *Cre-  
-do sanctam Ecclesiam*: quæ expositio aliàs tribuitur *Ruffino*, apud  
-*Hieronymum* *Tom.* 4. pag. 212. ubi in textu quidem vox *Catholicæ*  
-habetur addita, sed in ipsa *Exegesi* omittitur. Sic apud *Epipha-  
-nium*, quando recensetur *Symbolum Apostolicum*, hæc. 72. T. 1. l. 3.  
-pag. 272. articulus de *Ecclesia* ita commemoratur: *Credo sanctam  
-Ecclesiam*; omisso nomine *Catholicæ*. Si ergo incertum adhuc,  
-an vox ea sit ab *Apostolis* profecta; & si prædicti *Patres* non sunt  
-falsa.



falsarii, omittendo titulum Catholicæ; multò minus Luthero crimen falsi poterit jure objici, qui vocem Catholicam non in totum omisit; sed significantiore ac notiore titulo *Christiana* expressit.

3. Falsissimum est, Lutherum eo fine vocem *Christiana* substituisse in versione Germanica, quo illam esse substitutam fingit Tannerus par. 1 Anat. pag. 61. scribens: *Lutherus probè sciens, suam, ut pote novitiam ac nimis angustam Ecclesiam, Catholicam esse ac dici non posse, in suo Catechismo Germanico substituit vocem Christianam; Sine heilige Christliche Kirche/ratus appellationem Christiana non tam evidenter, quàm Catholicæ Epitheton, sua recens in Saxonia primùm nata & edificata Ecclesiæ adversari.* At mera hæc est calumnia, & turpis principii petitio. Nulla fuit, nulla est ipsius Lutheri, sed tantùm Christi Ecclesia, à Luthero reformata, quæ propterea nec nova, nec nimis angusta nominari potest, quum per omnia secula extiterit, & per cunctas nationes dispersa fuerit. Deinde Lutherus nequam timuit nomen Catholicæ: Nam in scriptis Latinis illud usurpavit, & ab ejus vera attributione Ecclesiam reformatam minimè excludi posse asseruit, quod utique non fecisset, si ipse vel putasset vel scivisset, nomen Catholicæ adversari reformatæ Ecclesiæ. In Symbolo igitur vertendo ab omni timore & dolo fuit alienissimus, aliàs vocem Catholicæ nunquam adhibuisset, ne quidem in Latinis scriptis. Habuit autem utrumque titulum fermè pro Synonymis, quod patet ex art. Schmalc. 12. par. 3. pag. 335. ubi scribit: *Sic orant pueri: Credo sanctam Ecclesiam, Catholicam sive Christianam.*

Quia Lutherus non eum versionis suæ finem habuit, quem habuisse illum Papi- stæ fingunt.

4. Chemnitius Tom. 3. LL. CC. m. pag. 139. commemorat, quòd etiam ante Lutheri tempora passim usitatum fuerit, illum articulum ita recitare: *Ich gleube eine heilige Christliche Kirche* / ubi per voculam *Christlich* idem intelligi scribit, quod per titulum Catholicæ, quia Christianum nomen dispersum est per totum terrarum orbem. Et sic invenitur, ait, in vetustis codicibus. Quod quum Lutherus ita reliquerit, sicut invenit, falsò accusatur, quasi fraudulenter vocem illam rejecerit. Si ergo ista versio cum crimine

Quia etiam ante Lutherum vox Catholicæ est reddita per *Christlich*.

E sacri-



sacrilegii conjuncta est, sequitur ipsos Papistas esse sacrilegos, quippe qui primi verterunt, & à quibus Lutherus versionem istam accepit, & acceptam retinuit; Unde insuper patet, quòd manifestum Tanneri *Psüdd* sit, scribentis, *omnes omninò Symboli versiones vocem Catholicæ expressisse.*

Quia vox  
Christlich  
est notior,  
quàm vox  
Catho-  
lisch/  
Et nomen  
Catholica  
sub titulo  
Christiana  
continetur.

5. Si maximè Lutherus & quidem ipse primus ita vertisset, causæ tamen istius versionis satis validæ afferri possent; quas licèt ipse nullibi commemorarit, putamus tamen has duas esse præcipuas: (1.) Quòd vox *Christlich* & vulgo notior, & multò significantior est, quàm vox *Catholisch*. Nam omne verè Christianum est etiam Catholicum; sed non contrà, omne Catholicum, si sola diffusio intelligatur, est Christianum. Et si maximè quis vertat *Allgemein*/ tamen hæc etiam vox non adeò significans est, atq; altera *Christlich*/ ubi sensus mox influit, & cuivis patet. (2.) Quòd vox *Catholica* sub titulo *Christiana* continetur. Nam certum, quòd Ecclesia *Christiana*, sit etiam eo ipso *Catholica*. Qui ergo credit Ecclesiam *Christianam*, ille simul credit & profitetur Ecclesiam *Catholicam*. *Christiana* enim dicitur *tum* quia Christum agnoscit pro capite, *tum* quia universam Christi doctrinam omnium Christianorum consensu, omni loco & tempore comprobata, complectitur, ut ita extra dubium sit, Universalitatis nomen sub nomine & formali conceptu *Christiana* Ecclesiæ, ut *Christiana* est, unâ contineri. Nec enim potest explicari, cur Ecclesia dicatur *Christiana*, nisi statuatur, eam vocem non solum Christum caput, sed simul universam Christi doctrinam, & omnes Christianos, omni loco & tempore viventes, exprimere vel involvere. Ea solum Ecclesia est *Christiana*, cui omnes veri Christiani, soli Christo adhærentes, & universam Christi doctrinam profitentes, fuerunt, sunt & erunt addicti.

Tannerus quidem *par. 1. Anat. pag. 61.* scribit: *Esse quoad vim significandi maximum inter utramq; vocem discrimen, quia Ecclesia dicatur Christiana à Christo sponso & capite; sed Catholica, ab universalitate non solum doctrinae, sed etiam locorum, temporum & personarum. Illud nomen omnes hereticos sibi arrogare; hoc autem non item, quoniam nullus coetus hereticus præsertim in initio sit Catholicus vel diffusus.*

R.



R. (1.) Tantum non est discrimen, quantum Tannerus com-  
 miniscitur. Nam Ecclesia dicitur Christiana, non tantum à  
 Christi persona; sed etiam à Christi doctrina universa, per to-  
 tum terrarum orbem diffusa, communiq; Christianorum con-  
 sensu recepta. Quando igitur Christianam Ecclesiam nomino,  
 simul universalitatem omnium Christianorum, & doctrinæ Chri-  
 sti, omni tempore prædicatæ, connoto. Ecclesia enim Christia-  
 na, quatenus Christiana est, est cœtus Christianorum omnium,  
 universam Christi doctrinam quovis loco & tempore profiten-  
 tium. (2.) Hæretici non minus sibi arrogant nomen Catholico-  
 rum quàm Christianorum, tum quoad universalitatem doctrinæ;  
 tum quoad universalitatem loci & temporis, quia licet cœtus ipso-  
 rum in præsentem non sit diffusus, omnes tamen dicunt, se commu-  
 nicare cum Apostolica & primitiva, per totum orbem olim disse-  
 minata Ecclesia, id quod ad Catholicismum sufficere, ipsi fatentur  
 Pontificii, ideoq; cadit & altera inter nomen Catholicæ & Chri-  
 stianæ quæsitæ differentia.

## Quæstio VI. & ultima.

*Quanam  $\pi\omicron\epsilon\iota\ \kappa\alpha\tau\alpha$  fluant ex Catholico-  
cismo Ecclesiæ?*

XXXV.

Desumi hæc possunt ex nonnullis affectionibus cujusvis uni-  
 versalis, supra enumeratis, quæ ad Ecclesiam Catholicam accom-  
 modatæ, novem pariunt  $\pi\omicron\epsilon\iota\ \kappa\alpha\tau\alpha$ , nimirum,

Novem  $\pi\omicron\epsilon\iota$   
*ei*  $\kappa\alpha\tau\alpha$   
 ordine re-  
 censentur.

1. Quod Ecclesia universalis omnes sub se comprehendat particulares  
 Ecclesias. Nam quodvis universale pluribus est commune, sine  
 qua communitate si esset, universale dici minimè posset.  
 Ecclesia igitur Catholica est quiddam aggregatum ex cœtibus sin-  
 gularibus: Uno verbo, comprehensio est omnium particularium  
 Ecclesiarum.

• •

2. Quod



2. *Quòd de pluribus, imò de omnibus Ecclesiis prædicari possit.* Nam cœtus Dresdensis verè est Ecclesia; cœtus Lipsensis verè est Ecclesia; cœtus Wittebergensis verè est Ecclesia, & sic consequenter. Quia enim natura Ecclesiæ singulis inest, hinc de singulis prædicari potest. Notandum verò, quòd Ecclesia Catholica consideretur dupliciter, (1.) *Ratione suæ quidditatis*, in quantum Ecclesia. (2.) *Ratione suæ communitatis*, in quantum Catholica est. *Priori modo* prædicatur tantùm de particularibus Ecclesiis, non autem posteriori modo, h. e. Quicquid est essentielle Ecclesiæ, vel ad ejus naturam pertinet; id omne affirmari potest de quavis particulari Ecclesia: sed ipsa universalitas, quâ talis, prædicari nequit de particularibus, quia fieret contradictio in adjecto, si Ecclesiam particularem vocares universalem.

3. *Quòd in se tamen una sit & maneat, licèt plura sub se comprehendat, & de pluribus prædicetur cœtibus.* Nam omne universale est quiddam unum; unitate tamen communi, non individuali. Licèt igitur aliquot myriades dentur Ecclesiarum particularium; Una tamen duntaxat est Ecclesia Catholica, quæ omnes istas sub se complectitur.

4. *Quòd in sensus minimè incurrat, præsertim quòd semper invisibilis sit & maneat.* Nullum enim universale, quatenus tale, sentitur, aut videtur, uti Philosophus passim docuit; sed singularia tantùm sunt objecta sensuum. Ergo nec Ecclesia Catholica, in quantum Catholica, incurrit in sensus aut videri poterit, nimirum ab hominibus. Deus quidem, omnia videns, Ecclesias etiam in orbe toto diffusas videt præsentissimè; nos autem homines uti simul & semel in multis locis non existimus, ita simul & semel Ecclesiam totam, per omnes provincias sparsam, intueri non possumus, ut mira sit Papistarum absurditas, qui Ecclesiam Catholicam semper clamitant esse visibilem, & cujusvis aspectui patentem, id quod est contra primum principium Philosophicum, quo nullum universale, sed sola singularia sub sensus cadere docetur.

5. *Quòd licèt in sese, & quatenus Catholica est, non videatur, in singularibus tamen videri possit.* Ut enim homo, in quantum species, &  
quid-



quiddam universale est, non cernitur; in singularibus tamen, in Petro, Paulo, Johanne, &c. adspicitur, Ita quoque de Ecclesia Catholica judicandum est.

6. *Quòd ex singularium collectione oriatur atq; cognoscatur.* Nam quodvis universale per inductionem cunctorum singularium quasi nascitur; ut quando video Petrum, Paulum, Johannem, alios, esse animalia; hinc deduco, quòd omnis homo sit animal, ideoque hoc habeat sese ad hominem, ut genus ad speciem. Pari modo ex inspectione particularium Ecclesiarum oritur quoddam totum & universale, nimirum Ecclesia Catholica, cujus affectiones similiter ex particularium cœtuum qualitatibus deducuntur & innotescunt.

7. *Quòd sola cadat sub scientiam.* Quando enim natura Ecclesie describitur à Theologo; tunc Ecclesia omnis, non autem hæc vel illa in singulari attenditur. Omnes igitur descriptiones & affectiones primò concernunt Ecclesiam Catholicam; post consequenter particularibus quoq; tribuuntur, tanquam partibus homogeneis, sub illa contentis.

8. *Quòd sit simplicior & honorabilior Ecclesiis particularibus.* Nam liberata est à conditionibus individuantibus loci, & temporis; & honor, qui debetur partibus, multò magis debetur toti.

9. *Quòd sit semper & ubique,* in Ecclesiis nimirum particularibus, quæ sibi invicem ita succedunt, ut semper, si non in omnibus, in aliquibus tamen regionibus aliquæ inveniantur.

### XXXVI.

Addendum nunc aliquid esset de his quæstionibus, Num *Pa-* *Conclusio.*  
*pistarum Ecclesia verè sit Catholica, vel secus? Item, An Protestantes re-*  
*ipsa sint, & meritò vocari debeant Catholici? Sed quoniam de utroque*  
*problemate satis prolixè disputatum est tum in AntiLæbio par.2. Con-*  
*sid.6. pag.251. seqq. tum in Apologia, disp.7. actum hoc loco non agemus*  
*denuò, sed pedem figentes, Deum Ecclesie Catholicæ fundato-*

rcm



rem & Conservatorem Opt. Max. devotis invocamus suspiriis, ne  
confundat omnes, qui coetui piorum male cupiunt. Ipse propitius tueatur  
Vineam Catholicam inter nos plantatam, neque permittat, ipsam ab apris  
hereticis vastari. Rogemus supplices ea, quae ad pacem sunt hujus mystico  
v.6.7. Jerusalem: Bene sit diligentibus eam: Sit prosperitas in muris eius &  
Psal. 121, 7. salus in palatii eius. Dominus custodiat illam ab omni malo, custo-  
diat animas nostras ex hoc nunc, & usq; in seculum,  
Amen.

**F I N I S.**



LVII



05 A 733

3

**ULB Halle**  
003 766 918



WDA

6dy









